

nitatem nisi quatenus sub uno praelato, veluti membra sub suo capite, constituuntur; juxta alios hæc denominatio ortum habuit ab usu qui semper viguit legendi capitulum regularum, vel sacræ Scripturæ, intra divinum officium, ad horam Primæ.

Quidquid sit de etymologia nominis, ad notionem capituli attendamus:

Dicitur 1^o *Collegium clericorum*, quod necessarium esse subindicat in plurali numero clericos convenire, ut constituatur capitulum. Requiritur ut sint saltem tres numero, juxta vulgare effatum *Tres faciunt capitulum*, quod a jure Romano desumptum fuit, scilicet a lege *Neratii* 85, ff. *de verborum significatione*, quæ sic habet: « Neratius priscus dixit tres facere collegium, et hoc magis sequendum est. » Omnis communitas rite ordinata deliberare quandoque debet de negotiis propriis; porro deliberatio supponit tres saltem personas, ut, in casu diversitatis sententiarum, negotia concludi possint majori numero suffragiorum. Nihilominus tamen, si capitulo semel constituto, pleraque membra deficiant adeo ut duo solummodo supersint, vel etiam unum, capitulum adhuc subsistit, suum titulum canonicum suaque jura conservat. « Quod dictum est « tres saltem requiri ad capitulum, ait Fagnan, verum est ab initio, sed postea jus collegii etiam in uno retinetur. » In cap. *Nullus*, n^o 50, DE ELECTIONE. Ita celebriores canonistæ, qui ex illo principio practica consecraria magni quidem momenti deducunt, ut infra videbitur.

2^o *Qui sub praelato constituti...* essenziale est omni communitati ut ipsi aliquis præsit. Capitulum cathedrale, quatenus est senatus et consilium Episcopi, non alium præsidem habet quam ipsum Episcopum; quatenus vero est corpus propria habens negotia, sub alio praelato constituitur, nempe decano, priore aut præposito, aliove quovis titulo donetur.

3^o *Unum corpus morale efficiunt...* quod ex præcedentibus sufficienter explicatur. Signum communitatis canonice erectæ

SECTIO IV^a

DE CAPITULIS ECCLESiarUM CATHEDRALIUM ET COLLEGIATARUM.

A scholis clericalibus ad capitula, quæ sunt collegia clericorum instituta cultus publici causa, progredimur. Dicendum erit de natura atque constitutione capitulorum; de illorum erectione, statutis, juribus et obligationibus. Singulæ quæstiones plura complectuntur majoris momenti in disciplina ecclesiastica¹.

ARTICULUS I. — DE NATURA ET CONSTITUTIONE CAPITULORUM.

* 380. — 1^o *Quid et quotuplex sit capitulum?*

I. Capitulum est collegium clericorum qui, sub praelato constituti, unum corpus efficiunt, et ab Ecclesia cultui publico adduntur.

Undenam derivetur nomen *capituli* ignoramus. Alii illud deducunt a voce *caput*, quia clerici non veniunt in commu-

¹ Lib. III *Decretalium*, tit. DE PRÆBENDIS; — DE CLERICIS NON RESIDENTIBUS; — NE SEDE VACANTE ALIQUID INNOVETUR; — DE IIS QUÆ FIUNT A MAJORI PARTE CAPITULORUM; — Barbosa, *de Canonis*; — Benedictus XIV, *Institutione* CVII; — Andreucci, *de Tuenda Pace et Concordia inter Episcopum et capitulum*; — *Conférences d'Angers*, VI et VII Conf. sur les États; — Ducasse, *Traité des droits et des obligations des chapitres*.

est sigillum publicum, quod scilicet publica auctoritate nititur, et attribuitur principi, episcopo, capitulis, iudici, etc., ut scripturæ ad suam jurisdictionem seu officium attinentes vim habeant in foro externo. Clerici ejusdem Ecclesiæ beneficiati non possunt habere hujusmodi sigillum commune, nisi efficiant capitulum rite constitutum. Cap. *Dilecta*, 14, DE EXCESSIBUS PRELATORUM.)

4^o *Et ab Ecclesia cultui publico addicuntur.* Est officium commune et proprium omni communitati clericorum, quæ venit sub nomine capituli.

381. — II. Capitulum duplex distinguitur: aliud Ecclesiæ cathedralis, aliud Ecclesiæ collegialis.

Capitulum Ecclesiæ cathedralis nuncupatur, quod erectum est in Ecclesia cathedrali, seu metropolitana, ut officium publicum chori persolvat, Episcopo auxilietur in regimine diœcesis, atque, sede vacante, illum suppleat in hoc regimine; quamobrem illud merito dixerunt senatum et consilium Episcopi. Repræsentat presbyterium quod olim una cum Episcopo, et sub ductu præsulis, Ecclesiam regebat, sine quo Episcopus nihil determinare consueverat. « Quamquam, ait P. Thomassin, nulla esset communis vitæ societas inter clericos Ecclesiarum cathedralium per priora sæcula, nec inter se, nec cum Episcopo, coalescebant tamen illi in unum quoddam veluti corpus cum eo, et in partem sollicitudinis, atque in imperii sacri quamdam societatem veniebant... Clerus Romanæ Ecclesiæ formam præ se fert ejus cleri qui olim singulis in cathedralibus Ecclesiis Episcopo copulabatur. Constat enim Romani Pontificis clerus presbyteris diaconisque cardinalibus, cum pontifice, et sub pontifice conspirantibus et collaborantibus in consistorio, de negotiis omnibus quæ ex universo christiano orbe Romam referuntur. » (*Vetus et Nova Disciplina*, part. I, lib. III, cap. VII.)

In eo statu hucusque remansisse Capitula cathedralia ex pluribus argumentis deducimus, imprimis ex tenore concordatorum

et ex constitutionibus occasione concordatorum datis. Pius VII hanc rationem affert, in Bulla *Christi Domini*, de articulo concordati relativo ad Capitulum: « Cum Episcoporum consilio suæque Ecclesiæ administrationi consulere necesse sit, illud non omisimus ut iidem Episcopi unum habeant in Ecclesia cathedrali capitulum. » In concordato quod SS. NN. Pius IX iniit cum gubernio civili Hispaniarum an. 1851, dicitur: « Cathedralia capitula Archiepiscoporum et Episcoporum senatum consiliumque constituere. » Art. xv.

Capitulum collegiatæ in alia Ecclesia quam cathedrali erigitur, nec sua institutione destinatur ad juvandum Episcopum in regimine diœcesis. Distinguitur Ecclesia collegiata *insignis* a collegiata communi. Insignes collegiatæ reputantur, quas Sancta Sedes hoc titulo decoratas esse voluit, aut quæ in communi existimatione tales habentur; hæc enim qualitas ex facto pendet, si Ecclesia sit constituta in loco conspicuo, si multis præbendis ditetur, si dignitatibus sit illustris. « Doctores, ait Card. Petra, pro inspiciendo an collegiata sit insignis, rem arbitrio iudicis relinquunt, ad instar probationis nobilitatis. » Quod vero sit discrimen in praxi inter collegiatam insignem et communem, idem canonista indicat: « Scire collegiatam esse insignem, vel non, ad plura confert, tum ob differentiam residentiae et servitii chori inter unam et aliam, tum etiam ad alios effectus inductos per concilium Trid., sess. XXIV, cap. XII., de *Reform.* » (*Comment.* in Const. VII Innocentii IV, sect. II, n^o 35, tom. III.) Canonici collegiatæ non insignis eximi possunt a servitio chori ob varias causas, et præsertim longævæ consuetudinis causa, quæ non admittuntur a jure ubi de canonicis collegiatæ insignis agitur. Præterea, votum quod emittit concilium Trid. ut, ubi id commode fieri possit, dignitates omnes et dimidia saltem pars canonicatum in cathedralibus et in collegiatis insignibus conferantur tantum magistris, vel doctoribus, aut etiam licentiatibus in theologia vel jure canonico, non refertur ad collegiatis communes.

* 382. — II^o *Quid sint canonici, et in quot classes distinguantur?*

Canonici sunt clerici qui, titulo inamovibili, deputantur a chororum et ad celebrationem officiorum divinorum in Ecclesia cathedrali, vel in collegiata.

Triplex est ordo canonicorum: alii sunt præbendarii, alii supranumerarii cum expectativa præbendæ vacaturæ, alii demum honorarii.

PRÆBENDARII dicuntur qui simul cum canonia præbendam habent: quod ut melius intelligatur, notare oportet *canoniam* esse titulum quo aliquis fit membrum capituli, habet stallum in choro et suffragium in cœtu capitulari; *præbendam* autem dici jus percipiendi proventus bonorum temporalium qui titulo sunt annexi. Obligationes et jura spiritualia canonicorum procedunt ab ipso titulo canonicatus, non a præbenda quæ est simplex accessorium: cum vero regula generalis sit, ut officio cui-libet ecclesiastico assignetur bonum temporale quo clerici suæ sustentationi provideant, jure communi præbenda connecti debet canonicatui, unaque cum illo conferri. « Non est congruum, » ait Alexander III, ut præbenda careat qui in canonicum notatur esse receptus... Videtur indignum, rescripsit in eodem « sensu Innocentius III, ut receptus in canonicum præbendæ beneficio defraudetur. » Cap. *Relatum*, 9, DE PRÆBENDIS; *Dilectus*, 49, eod. tit. Canonistæ exinde concludunt licitum non fore, spectato jure communi, instituere canonicatus quibus non annectantur præbendæ, nec consequenter conferre alicui canoniam, nisi simul jus ipsi conferatur ad obtinendam præbendam. « Quamvis, » ait Fagnan, canonicus esse « non possit sine spe et expectatione præbendæ, tamen actualis « præbenda non est de substantia canonicatus. » (In cap. *Dilectus*, n^o 8, DE PRÆBENDIS, lib. III Decret. — Reiffenstuel, eod. tit., n^{is} 58-65.)

SUPRANUMERARII canonici dicuntur qui, ultra numerum pro capitulo assignatum admissi, habent expectativam præbendæ

primo vacaturæ. Non videtur ullum clericum ea conditione admitti posse, nisi id fiat auctoritate S. Sedis; siquidem concilium Trid. prohibuit ne deinceps ulli dentur etiam sub nomine indulti, vel alio quovis quæsito colore, gratiæ quæ nuncupantur *expectativæ*. Sess. xxiv, cap. xix, *de Reform...* Excipe casum consuetudinis immemorabilis, quod decisum a S. Congregatione refert Barbosa in causa capituli Salamaritani. (*De canonicis*, cap. xii, n^o 25.)

HONORARII canonici obtinent jus sedendi in choro et gestandi insignia canonicatus; non habent vero præbendam, nec communiter jus suffragii; unde nec admittantur in cœtum capitularem. Veteres canonistæ, quorum ætate incipiebat usus quosdam clericos decorandi titulo canonicatus absque ulla præbenda, aut præbendæ expectativa, parum favebant institutioni⁴, quæ ipsis inutilis videbatur, nisi forte crearentur canonici honorarii ad auxiliandum canonicis senioribus, vel ad inseriendum in minoribus servitiis. Hodie, tum intra Italiam, tum in aliis regionibus, prævaluit disciplina creandi canonicos ad honores; de illius legitimitate omnes consentiunt, modo caute procedatur in praxi (n^o 387).

* 383. — III^o *Quid sint dignitates et officia capitulorum?*

I. Præter decanum, aut præpositum, de quo supra dicebamus, sunt communiter aliæ dignitates, personatus et officia, quibus provideatur splendori, regimini, atque commodis capituli.

Dignitas est officium conferens simul præminentiam et jurisdictionem in foro externo, id est potestatem gubernandi cum aliqua coactione. *Personatus* præminentiam confert, et aliquam administrationem, sine jurisdictione proprie dicta: hujusmodi est plerumque officium præcentoris, sacristæ, etc. *Officium* simplex habet administrationem, sine præminentia

⁴ *Thesaurus resolutionum* S. Congregationis, tom. LVII, pag. 8 et seq.; tom. XCVI, pag. 545, 550; XVII, pag. 20.

et jurisdictione in capitulo, quale esse potest officium theologicis et penitentiarum.

Non ita facile est determinare, in specie, quinam sint tituli qui dignitates, personatus, aut officium simplex dici debeant; nulla siquidem est regula generalis hac de re constituta, sed statutis singulorum capitulorum et Ecclesiarum consuetudini id relinquitur. « Consuetudo, ait Barbosa, plurimum operatur « ad dignoscendum quæ sit prima dignitas in aliqua Ecclesia, « et ideo attenditur potius solitum ipsius Ecclesiæ, quam jus « commune. » (*De Canonicis*, cap. iv, n^o 8, 9.) Dignitates ubique reputantur archidiaconatus, archipresbyteratus, et officium illius qui caput est capituli, quocumque nomine officium illud designetur. Cætera a consuetudinibus et a statutis pendent.

II. Queritur inter doctores utrum dignitates sint de corpore capituli, an extra corpus capitulare censeantur.

« In Ecclesia sæculari, ait Card. Petra, nomine capituli « venire tantum canonicos regulariter est dicendum; unde « excluduntur dignitates, quæ non dicuntur de capitulo, nisi « aliter ferat consuetudo. Extra Italiam regula est ut dignitates non sint de capitulo; in Italia vero, quod sint; utraque « tamen regula limitationem recipiente ex contrario usu, si « forte aderit quoad certas Ecclesias. » (*Commentaria* in const. 1^{am} S. Leonis, sect. II, n^o 9, tom. I.) Non ita difficile est explicare cur diversa fuerit ea de re Ecclesiarum disciplina. Nonnullæ scilicet ex dignitatibus et officiis quæ nunc habentur in capitulis, erant primitus administrationes et delegationes revocabiles. Cum vero decursu temporum evaserint in officium stabile, novum illud dignitatis stabilis incrementum plura capitula induxit ad sibi in idem corpus eos cooptandum quos ad illa officia promoverant, dum in aliis Ecclesiis vetus mansit consuetudo ut eadem dignitates non censerentur de corpore capituli. Idem usu evenit pro cæteris quibusdam officiis ordinis excellentioris, quæ titulo suæ foundationis non fuerant connexa capitulo.

Dignitates, personatus et officia, sive annectantur præbendæ canoniali, sive titulis beneficialibus capitulo extrinsecis, conferuntur in perpetuum, jure communi. Ratio est quod tituli beneficiales denter absolute, neququam vero ad nutum revocabiles; nec aliter esse debet, nisi de nonnullis in specie dignitatibus, seu officiis, prævaluerit usu diuturno consuetudo contraria.

ARTICULUS II. — DE ERECTIONE CAPITULORUM, ET NOMINATIONE CANONICORUM.

384. — 1^o A quo erigi possint capitula?

Certum est capitulum cathedralis Ecclesiæ non ab alio erigi posse quam a S. Pontifice, qui simul et Ecclesiam cathedralem designat et in ipsa capitulum constituit. Etiam si, ob temporum difficultates, capitulum non erigeretur una simul cum cathedrali, remaneret nihilominus inter causas majores reservatas Sanctæ Apostolicæ Sedi.

Utrum idem dicendum sit de collegiata, non ita convenit apud canonistas. « In puncto juris res est dubia, ait card. « Petra, cum vere non adsint textus rem perspicue decident. »

Viguit olim opinio, quam et ipsa Rota amplexata fuerat, Episcopum erigere posse Ecclesiam parochialem in collegiatam. Ita existimabant plures non contemnendæ auctoritatis viri, quos citant Card. Petra. *Comm.* in const. VII^{am} Innocentii IV, sect. II, n^o 7-13; et Barbosa, *de Canonicis*, cap. II, n^o 8. Suam sententiam ea ratione probaverunt, quod erectio Collegiatarum, nec natura rei, nec jure canonico, fuerit reservata S. Sedi, et sæpius Episcopi hujuscemodi ecclesias, cum capitulis, erexerint propria auctoritate. 1^o Erectio collegiatae etiam insignis, nec ipsa natura instituti, nec ex ordinationibus juris communis, reputanda est causa major S. Sedi reservata. Non quidem ex se: nihil enim habet quod referat ad

Ecclesiam universalem, et valde differt a cathedrali quæ Episcopo auxiliatur, illumque supplet, sede vacante. Nec etiam ex regulis juris : quandoquidem nullus affertur textus Decretalium, nulla constitutio a Sancta Sede, vel a conciliis lata, ad reservandum hoc genus negotii auctoritati supremæ S. Pontificis. 2º S. Gregorius VII statuit ut Episcopi, facultatibus Ecclesiarum, proventibus et expensis diligenter inspectis, certum in eis valeant ponere numerum clericorum et præscribere, « ut bona eorum veniant in commune, in una domo « vescantur, atque sub uno tecto dormiant et quiescant. » Cap. *Quoniam*, 9, DE VITA ET HONEST. CLER. Hic agitur de collegiata sæculari; et omnibus Episcopis attributa videtur facultas Ecclesias suæ diocesis in collegiatas erigendi, quando, inspecto illarum statu, id opportunum judicaverint; quamvis enim S. Gregorius suam epistolam decretalem ad quosdam in particulari Episcopos direxerit, eo ipso quod inserta est in libro Decretalium, merito conjicitur transiisse in jus commune. 3º Hac potestate sæpius olim usos fuisse Episcopos agnoscunt doctores qui secundam opinionem propugnant; et praxim hujusmodi apud nos, ante rerum Gallicarum perturbationem, adhuc perstitisse satis probabile est ob opinionem inter canonistas Gallicos communioem¹. Exinde DD. Affre, arch. Parisiensis, cum ageretur de erigendo capitulo S. Dionysii fidenter asserebat : « Nous défions qu'on cite une « seule autorité de quelque poids, en vertu de laquelle on pût « refuser à l'archevêque de Paris le droit d'organiser canoniquement le chapitre de Saint-Denis². »

Communissima tamen opinio, quæ decursu temporum prævaluit apud canonistas, negat id juris competere Episcopis. « Hanc sententiam, licet expresso textu non fulciatur, tamen

¹ Gobard, *Traité des Bénéfices*, tom. I, pag. 95, 94; — Gibert, *Institutions ecclésiastiques*, tom. I, pag. 470; — d'Héricourt, *Lois ecclésiastiques*, II^e partie, chap. XXI, n^o 55.

² *Chapitre de Saint-Denis; Discussion du projet d'exemption*, p. 68.

« confovent plures rationes, ait Card. Petra; tum quia collegia « non nisi potestate Principis supremi erigenda sunt, præsertim si sint collegia ecclesiastica...; tum etiam quia erectio « collegiata in se est res gravis, præsertim si sit insignis, quæ « fere cathedrali æquiparatur...; tum ulterius quia nequit « Episcopus immutare statum Ecclesiæ, adeo ut de Ecclesia « collegiata non posset facere simplicem parochialem... » (Loco citato, n^o 8-10.)

Hæc ratiocinia non prævalerent argumentis in favorem primæ opinionis allatis, nisi accederet praxis curiæ Romanæ et auctoritas S. Congregationis Concilii quam in eo sensu pluries respondisse asseverant¹.

Huic opinioni standum est; eo magis quod exinde removen- tur dubitationes de valore erectionis collegiatae, et capitulum firmiter in futurum stabilitur, adeo ut successores Episcopi non valeant illius statum immutare.

385. — IIº *Utrum creatio dignitatum et canonicatum reservetur Sanctæ Sedi, sicut erectio capituli?*

S. Pontifex consuevit unam dignitatem aut plures instituere in actu ipso erectionis capituli, aliquoties insuper designat numerum canonicatum: quæstio est an Episcopus valeat alias dignitates suo capitulo adjungere et adaugere numerum canonicatum.

I. Quod ad *dignitates* refert, communiter admissum est Episcopum non posse quidem instituere dignitates inusitatas in Ecclesia; nihil vero obstare, ex parte saltem disciplinæ communis, quominus dignitates jure vel longa consuetudine creatas erigat cum assensu sui capituli, v. g. archidiaconatum, archipresbyteratum, præposituram... Disceptatis olim dubiis, in causa S. Congregationi proposita, an possit Episcopus erigere præposituram secundam dignitatem in una collegiata; an in eadem in qua non est præfinitus numerus canonicorum, possit erigere

¹ Card. de Luca, *Discurs. xiv de Beneficiis*, n^o 12.

canonicatum; rescriptum est ad utrumque: *affirmative, de consensu capituli.* (*Thesaurus Resolutionum*, tom. XXXV, pag. 12.)

Duo sunt officia quæ, ita statuente concilio Tridentino, Episcopus in capitulo constituere debet, scilicet officium theologicis et pœnitentiarii; quocirca una præbenda assignanda est quæ perpetuo annexa futura sit officio theologicis, altera eodem prorsus modo annecti debet officio pœnitentiarii, qui confessiones in Ecclesia audiat. Episcopi erit invigilare ut uterque suo officio debite fungatur juxta disciplinam communem et consuetudines locorum, quemadmodum infra dicitur. (Concilium Trid., sess. v, cap. 1; sess. xxiv, cap. viii., *de Reform.*)

*386. — II. Quoad creationem *canonicatum*, distinctione opus est inter capitula quibus præfixus est numerus canonicorum, et alia capitula.

Si præfixus non est numerus, omnes canonicis docent Episcopum posse novos canonicatus constituere, modo tamen singulis assignet præbendam, seu proventus certos qui locum præbendæ teneant, quod a jure requisitum diximus. Hanc facultatem Episcopis competere supponunt; imo potius declarant decisiones allatæ S. Congregationis.

Si præfixus fuerit numerus, examinandum venit an illa determinatio numeri facta sit decreto absoluto S. Pontificis, aut tantummodo ob rationem proventuum qui impares censentur pluribus canonicis. In priori casu, servari oportet decretum apostolicum. Sit in exemplum Breve *Consueverint*, an. 1857 datum a SS. nostro Pio IX. pro erectione capituli Sancti Dionysii; quod ita statuit: « Prima classis, præter dignitatem, « duodecim ad summum canonicis constabit; secunda vero « viginti quatuor canonicorum numerum *nequaquam excedet.* » In secundo casu, Episcopus valet numerum canonicatum adaugere, modo simul adaugeantur proventus; cum enim, ex hypothese data, actus foundationis, decretumve erectionis, numerum non determinaverit, nisi ut mensa capitularis sufficiens sit ad

providendum sustentationi titularium, ipso jure cessat prohibitio, sublata causa.

In Galliis capitula Ecclesiarum cathedralium non sunt numerata. Pensiones a gubernio civili solutæ locum tenent totidem præbendarum distinctarum. Fas proinde erit Episcopo augere numerum canonicatum, sub ea conditione præmissa quod procedat cum assensu capituli, et quod insuper præbendæ constituentur. Non expedit tamen exsequi erectionem titularum, nisi accesserit consensus principis sæcularis; alias non sufficienter removebuntur difficultates quæ serius ocuis obvenerint, si deliberationes capituli deferantur ad gubernium, non quidem jure canonico id concedente, sed juxta ordinationes civiles; v. g. quando agitur de deputatione vicarii capitularis, vel etiam de regimine bonorum temporalium.

III. Cum canonicatibus *ad honores* nulla annexa sit præbenda, facilior est novorum titularum creatio. Ne tamen vilescat institutio, ea est disciplina Ecclesiæ ut parce admodum et non nisi ad muneranda alicujus personæ merita, vel divinum cultum augendum et amplificandum, titulus canonicatus tribuatur. « Non ultra modum augeri debet numerus canonicorum *ad honores*, aiunt Patres concilii Burdigalensis, an. 1850, et eo titulo debent præcipue capitulo « aggregari, qui choro interesse possint, et Ecclesiæ cathedrali « inservire. » (Tit. iv, cap. viii.) In Ecclesiis cathedralibus noviter erectis, necnon in statutis capitularibus recens approbatis, Sancta Apostolica Sedes providit ne plusquam viginti crearentur canonici honorarii; imo cathedrali nuper erectæ decem duntaxat concessit; quod satis indicat quam moderate procedendum sit, in ipsis etiam Ecclesiis quarum statuta nihil super ea re præfinierunt.

*387. — III^o *Quibusnam jure competat collatio dignitatum et canonicatum?*

I. Jure communi, per regulas Cancellariæ Romanæ stabilito, reservantur S. Sedi: 1^o Collatio primæ dignitatis post

episcopalem (regula 1^a); 2^o collatio omnium dignitatum et canonicatum quæ vacant octo determinatis mensibus in regula 1^a, aut sex alternis mensibus, prout cum Episcopo conventum fuerit; 3^o collatio dignitatum et canonicatum quæ vacant in curia Romana, id est quorum titulares decedunt Romæ, aut suo beneficio privantur sententia curiæ Romanæ (1^a regula); 4^o tandem collatio dignitatum et canonicatum quæ vacant sede episcopali vacante et Episcopo attribuebantur (1^a regula).

Qui supremam auctoritatem habet in regimine Ecclesiæ universalis, potest procul dubio, quibus utile judicaverit, dignitates et beneficia conferre. SS. Pontifices eo jure ab antiquis temporibus usos fuisse, ante scilicet ætatem Joannis XXII qui regulas cancellariæ conscribi curavit, extant exempla in epistolis sancti Gregorii Magni. Hæc disciplina ubique invaluit, apud Ecclesias Galliarum non secus ac in aliis regionibus; quod certo probant postulationes quas Universitas Parisiensis ad Sanctam Sedem olim direxit, dum singulis annis suum, ut aiebant, *rotulum*, exhibebat ad obtinendam partem optimam beneficiorum. Concordatum Leonis X cum Francisco I eandem disciplinam, tametsi paulo temperatam, sanxit. A tempore autem novi concordati, an. 1801, SS. Pontifices usi non sunt jure reservationum quoad nominationem canonicorum. Vix aliter hodie res ordinari posset; tum quia gubernium civile illos solos canonicos agnoscit quos nominavit Episcopus, nec facile admitteret canonicatum directe conferri in Galliis a S. Pontifice; tum quia Episcopi non possent præsentare tanquam a se nominatos, quos reipsa ipsi non elegerint. Quoad dignitates capituli, nihil obstat quominus reserventur; gubernium enim civile non curat quinam dignitatibus insigniantur, dummodo non alii canonici titulares capitulo cooptentur quam quos gratos habuerit.

388. — II. Collatio canonicatum non reservatorum Sanctæ Sedi pertinet jure communi, consuetudinibus atque statutis in-

ducto, una simul ad Episcopum et ad capitulum, adeo ut, vel utraque pars consensu mutuo eadem beneficia conferat; vel, si simultaneitas sit nimium difficilis in praxi, consentiant Episcopus et capitulum ut alternis vicibus canonicatus conferantur, tum ab Episcopo, tum a capitulo. Canonistæ arbitrantur jus illud, simultaneæ collationis exinde primitus ortum duxisse, quod massa communis honorum, quibus providebatur canonicis, pertinebat tam ad capitulum quam ad Episcopum; quapropter æquum visum fuit ut nullus admitteretur in participationem honorum nisi utraque parte assentiente, qui mos permansit etiam post peractam divisionem massæ in præbendas distinctas.

Diximus jus collationis inductum fuisse *consuetudinibus et statutis* locorum. Nulla prodiit a conciliis œcumenicis, nec ab auctoritate apostolica, lex generalis quæ ordinem servandum hac in re indixerit. Textus juris qui allegantur a quibusdam canonistis, casus propositos resolvunt in hypothesi consuetudinis vigentis in Ecclesia pro qua consulebatur Sancta Sedes¹. Cæterum omnes æque docent rationem habendam esse consuetudinis, « quæ in electionibus et beneficiorum collationibus « spectanda est, ait Fagnan... sive consuetudo det soli prælato « hanc collationem... sive illam det capitulo tantum... dummodo sit legitime præscripta. » (In cap. *Cum Ecclesia Vulterana*, n^o 25-27.) Non aliam regulam assignat Schmalzgrueber: « Quoad hoc attendenda sunt specialia Ecclesiarum vel « personarum privilegia, statuta, consuetudines, fundationes; « nam aliquando canonicatum collatio pertinet ad Episcopum « et capitulum simul, aliquando ad solum Episcopum, vel ad « solum capitulum. » (In tit. DE PRÆBENDIS, n^o 48.) Igitur,

¹ Ita præ cæteris caput *Cum Ecclesia Vulterana*, 51, DE ELECTIONE, lib. I Decret., et etiam, nostro quidem sensu, cap. *Postulastis*, 15, DE CONCESSIONE PRÆBENDÆ, licet plures viri magnæ auctoritatis illud aliter interpretentur. Cf. Fagnan, in cap. *Cum Ecclesia Vulterana*, n^o 1-17; et in cap. *Postulastis*, n^o 2-4.

consuetudo potuit conferre Episcopo, ad exclusionem capituli, jus conferendi canonicatus.

Hæc consuetudo viget in Galliis a tempore concordati, nec dubitamus quin retineri possit quoadusque S. Sedes aliter ordinaverit; sunt enim omnes conditiones ad legitimam consuetudinem requisitæ: 1^o Episcopi sibi reservaverunt electionem et nominationem canonicorum ab ipsa origine hodiernorum capitulorum, et ita quidem egerunt cum approbatione Card. Caprara, Legati *a latere*, qui non solum nihil ea de re ipsis objecit, sed ex officio approbavit statuta capitularia in quibus Episcopi expressis verbis declarabant sibi suisque successoribus reservari hanc electionem. Decursu temporum S. Sedes æque approbavit alia statuta quæ eandem disciplinam retinent ¹. 2^o Praxis Episcoporum firmata est tempore ad legitimam consuetudinem sufficienti, ut cuique apertum est; nec ulla orta fuit reclamatio sive ex parte S. Sedis, sive ex parte capitulorum. Nec dicatur canonicos idcirco non reclamasse quod ignoraverint jus suum, aut forte pertinuerint consecraria suæ reclamationis. Qui canonicatus habuerunt primis temporibus a concordato, vixerant sub veteri regimine et apprime noverant quid olim in usu esset. Si reclamandum duxissent, id multoties absque ullo sui periculo potuissent; nullæ tamen motæ sunt controversiæ ad annos usque proxime elapsos, nullæ querelæ ad S. Sedem delatæ contra praxim Episcoporum. 3^o Nihil obstat ex parte objecti, seu ex natura et fine capitulorum, de quo omnes canonistæ consentiunt. Fundamentum quod nonnulli assignant veteri juri introducto in gratiam capitulorum, scilicet in origine prima præbendarum, non subsistit in statu præsentis rerum; nam capitula nihil prætere posse in pensiones quas gubernium solvit

¹ Statuta data capitulo Eccl. Diniensis et approbata a Gregorio XVI die 15 April., an. 1843, hæc jura adscribunt Episcopo in cap. 1, art. vi: « Canonicatus tum titulares, tum honorarios conferre nobis unice reservamus. » Eadem servantur in aliis statutis recentiori tempore æque approbatis a S. Sede.

singulis canonicis... Sub eo respectu potius suadendum foret canonicis ne mutationem disciplinæ præsentis provocent; nam Gubernium civile, quod non vi concordati, sed sponte propria pensiones constituit, non aliis canonicis pensiones solvere intendit, quam ab Episcopo nominatis.

Si timendum sit ne quandoque Episcopi assumant, affectu nimis humano, parentes, cognatos, affines qui essent minus idonei; ex alia parte multo magis pertimescendum arbitramur ne plures clerici dignitatem canonicatus ambitiose contententes, omni ope et opera enitentur aucupari favores quorundam canonicorum, adeo ut capitulum divisionibus partium agitetur et via aperiatur factionibus?—Insuper capitulum destinatur ad juvandum Episcopum suis consiliis, et maxime refert ad bonum diœcesis, ad communem ædificationem, ut foveatur concordia Episcopum inter et capitulum. Porro Episcopus eo libentius et fidentius adhibebit capitulum in sua consilia, quod ipse, suusve in sede Episcopali antecessor, elegerit e clero quos ad id munus dignos judicabat. — Tandem exinde securius servatur concordia; nam dissidia, quibus tam frequenter pax olim conturbata fuit in pluribus diœcesibus, oriebantur ex conflictu jurium præteritorum, simul et ex vario modo quo canonici assumebantur independentem ab Episcopis ¹. Collegia, quando studiis in partes contrarias moventur adversus Prælatum, difficile ab iis se expediunt; contentiones diu perdurant, et perpetuantur ipsamet electione membrorum ab eodem collegio iisdemque animis præoccupatis facta, dum Episcopus remedium sæpius attulisset moderato prudentique usu juris canonicos ipse deligendi... Sub quocumque igitur respectu consideretur consuetudo de qua agimus, ratione originis, temporis et objecti, legitima est.

Episcopi exercitium sui juris temperare possunt, communicando capitulo nomina illorum quos promovere intendunt, ut

¹ Cf. la Luzerne, *Droits et Devoirs respectifs des évêques et des prêtres*, 1^{re} dissert., art. III, n^o 15.

vota consultativa secreto exquirant, ea fere ratione qua utitur S. ipse Pontifex, qui in consistorio secreto vota postulat S. Collegii circa promovendos in dignitatem cardinalitiam; sed plena libertate sibi servata ex institutis et consuetudine suarum Sedium, pronuntiandi prout in Domino videbitur, eligendi scilicet et nominandi quos magis idoneos judicaverint.

389. — IV^o *Quinam assumendi sint ad dignitates capituli et ad canonicatus?*

1^o Juxta decretum concilii Tridentini, omnes canonicatus Ecclesiarum cathedralium habere debent annexum ordinem presbyterii, diaconatus, vel subdiaconatus, « ita tamen ut dimidia « saltem pars presbyteri sint, cæteri vero diaconi aut subdiaconi; « ubi vero consuetudo laudabilior habet ut plures vel omnes « sint presbyteri, omnino observetur. » Sess. XXIV, cap. XII. Hæc consuetudo apud nos observatur; quamobrem requiritur ut assumendus sit presbyter, aut saltem ut presbyteratu initiatur intra annum, a die suæ promotionis.

2^o Concilium ibidem hortatur, non injungit, « ut in provin- « ciis ubi id commode fieri potest, dignitates omnes et saltem « dimidia pars canonicatum in cathedralibus et collegiatis in- « signibus, conferantur tantum magistris vel doctoribus, aut « etiam licentiatis in theologia vel jure canonico. »

3^o Benedictus XIII indixit in litteris apostolicis *Pastoralis officii*, an. 1725, ad omnes Episcopos per Italiam et insulas adjacentes constitutos directis, ut præbenda theologalis et pœnitentiaria conferatur doctori in sacra theologia, vel qui infra annum lauream doctoralem in eadem facultate suscipiat, et cæteroque magis idoneo in concursu ab examinadoribus renuntiato, eo fere modo quo parochiales Ecclesiæ jure communi conferuntur¹. Idem nuper statuit pro Ecclesiis Angliæ synodus provincialis Westminster, an. 1852 habita, edito canone quo

¹ Bulla Benedicti XIII ex integro legitur apud Ferraris, v^o *Canonicatus*, art. IX, n^o 88.

injungitur ut, vacante canonicatu theologali vel pœnitentiario, concursus fiat inter eos qui licentiam habuerint ad concurrendum, et ab Episcopo loci fuerint admissi, ut ex approbatis in concursu Episcopus eligat magis idoneum. Nihil ea de re fuit indictum jure communi.

390. — V^o *Utrum principibus sæcularibus pars aliqua competat, vi concordatorum aut consuetudinum, in collatione canonicatum?*

Canonistæ Germani late disserunt, in suis commentariis tituli DE PRÆBENDIS, de *primis precibus imperatoris ac regis Romanorum*. Supponunt imperatori competere, postquam electus fuerit, jus designandi personam idoneam cui conferri debeat primum beneficium vacaturum in unaquaque Ecclesia; quam facultatem ortam asserunt ex longæva consuetudine, et ex indulgentiis apostolicis. Idem asserunt scriptores Galli de prærogativis regum Galliæ, qui jura etiam magis extensa sibi tribuerunt ex triplici capite: 1^o titulo Regaliæ, de quo diximus in 1^a parte, n^o 294; 2^o occasione susceptionis regni, quod dicebatur *droit de joyeux avènement*; 3^o occasione jurisjurandi quod singuli Episcopi præstabant quando promovebantur ad sedem episcopalem. Quidquid sit de priori titulo, duo postremi nullo fundamento canonico innitebantur; siquidem nec privilegium apostolicum allegatur, nec constans ac placida possessio quæ vi diuturnæ consuetudinis firmata fuerit. Reclamationes cleri Gallicani, et frequentes discussiones exortæ inter præsules et magistratus, certo argumento sunt hanc praxim non aliam habuisse originem quam voluntatem arbitrariam principum cui cedere coacti fuerunt antistites¹.

Ab anno 1850 principes abstinerunt ab omni nominatione ad canonicatus vacantes, titulo Regaliæ aliove quovis pretextu. Optandum certe ut hæc praxis quam olim principes induxe-

¹ *Mémoires du clergé*, tom. XI, pag. 4170 et seq.; — Gohard, tom. III, pag. 250 et seq.; — *Ami de la Religion*, tom. III, pag. 357. *Dissert. du Droit de joyeux avènement*.

runt, non reviviscat, quæ cæteroquin in jus non potuit transire nisi assensu Ecclesiæ Romanæ.

ARTICULUS III. — DE STATUTIS CAPITULORUM.

391. — Omne collegium propriis statutis regitur quibus ad suum finem tendat. Capita Ecclesiarum cathedralium et collegiarum habere proinde debent statuta, quibus cuncta quæ ad statum regimenque suum spectant, item ad choralia signa canonicorum, ad divinorum officiorum celebrationem, cæremonias ac ritus, aliaque munia obeunda per capituli dignitates, constituantur et determinentur.

Non intendimus in præsentī ea recensere et perpendere quæ esse possunt objectum statutorum, sed præsertim inquirere quæ auctoritate hæc sint determinanda, attento jure communi, et jure speciali Ecclesiarum Galliæ.

Omnes consentiunt recurrendum fore ad S. Pontificem, si aliquid contrarium sit juri communi in statutis condendis; sed quæstio versatur circa auctoritatem Episcopi, et circa jus ipsius capituli. Itaque:

* 392. — I° *Utrum Episcopus valeat condere decreta quæ disciplinam a capitulo servandam statuunt?*

Episcopus potest, jure proprio, condere decreta quibus provideat statui capituli Ecclesiæ seu cathedralis, seu collegiatae, ut nempe capitulum fideliter servet leges communes, ac finem ab Ecclesia intentum certius assequatur.

In decursu expendendum veniet utrum Episcopus, antequam has ordinationes edicat, debeat requirere consilium capituli; in præsentī sufficiat jus ipsum stabilire, quod Episcopo assertum dicimus, condendi decreta, dummodo nihil cæteroquin statuatur contrarium disciplinæ communi, probatisque consuetudinibus.

Prob. 1° *Ex principio generali.* Episcopus habet potestatem

legislativam, quæ in omnes personas, atque in omnia etiam instituta suæ diocesis extenditur, salvo privilegio ac exemptionibus, si quæ fuerint concessa: atqui canonici, sive singuli considerentur, sive quatenus collegium efficiunt, huic auctoritati subduntur, nec est regula juris communis, ullumve privilegium generale, quo ab illa auctoritate eximantur; ergo non est cur Episcopus non valeat mandata seu leges condere quæ vim habeant obligandi tum canonicos qua tales, tum ipsummet capitulum, modo intra limites juris communis se sistat, nullumque detrimentum inferat legitimis juribus capitulorum.

Prob. 2° *Auctoritate Congregationum Romanarum.* Multis subortis dubiis ex parte capitulorum contra decreta episcopalia quibus Episcopi præscripserant canonicis ut sibi pontificalia exercentibus assisterent, ut partem divini officii cantando persolverent, ut vacationes jure concessas disponerent modo quo divini cultus dignitati non detraberetur plurium simul absentia, ut tempore vacationum e diocesi non egrederentur nisi petita licentia, aliaque innumera puncta ad bonum disciplinæ conducentia, Congregationes Romanæ responderunt obtemperandum esse decretis episcopalibus. Nullum hac in re canonistam aliter opinantem reperias. Ergo certum est jus Episcopi: potest utique edicere decreta quibus capitulum ad normam juris communis regatur, ac simul serventur probatæ consuetudines locorum, et privilegia quæ capitulum diuturna præscriptione obtinuerit.

Quod si tamen reperiatur capitulum exemptum ab episcopali jurisdictione Ordinarii, aliter dicendum erit, modo exemptio probetur. In Galliis unum solum est capitulum quod tali exemptione potiatur, scilicet capitulum insignis collegiatae Sancti Dionysii, quod nuper fuit canonice erectum litteris apostolicis 51 martii 1857.

* 395. — II° *Utrum capitulum jus habeat sua statuta condendi, et quæ sit vis horum statutorum?*

I. Capitulum, jure communi, potest facere statuta, quibus suo interno regimini provideat, modo nihil determinare